

1558

*Classis Tur-
cica Byzant-
tium rever-
situr.**Thomas Co-
zarenus,
Classis imp.
in parriam
redit.**Cypri regnū
a Venetis
munitum.*

ga navigatione defessis, cum nollent milites exponere, a Lorraine insula discedentes, litoribus Genuæ et mensis, augusti initio, nulla re, quæ tot sumptibus, atque apparatibus responderet, confecta, Byzantium rediere. Veneti Thomam Contarenum, classis imperatorem, ad urbem vocavere, qui statim se magistratu abdicavit.

Quoniam vero multa de Cypria expeditione variis dissipata rumoribus fuerant, diligentius pro eo regno tuendo excubare Patres cœpere, ut ex incolis trium peditum millium delectus haberetur, jussere. Bellicarum rerum scientes præfeci, qui ad militaria munera obeunda instruerent, usque, & exercitatione formarent: attributi *Francomati* (id militiae genus vocabatur) immunitates concessæ, stipendum, licet exile, collatum. Epirotarum equitum sexcentorum numerus ad octingentos auctus; iis ne agro colendo, quem stipendii loco acceperant, animos, & corpora neglecto servitio dejicerent, ex ære publico pecuniam perfolvi jussum. Centum præterea sclop Pettarii equites ex insulanis, totidem ex Italis, qui Cyprio solo coaluissent, ad litorum custodiam delecti; diversa quoque armorum genera parœ, sarissæ, hastæ, gladii, ac scloppi ad equites, & pedites armandos transmissa; ad hæc ligones, sarcula, sulphureum pulverem, ferreorum globorum numerum, tormentorum rotas, ac strata advehi mandatum. Decretum præterea, ut prisca olim Tamassus (nunc *Famagusta* civitas) atque Cerines oppidum munitionibus, ac propugnaculis ad hostium impetus excipiendo validiora redderentur; circumjectis agris complanatis, quo liberiore prospectu ab infidiis tutiora fierent.

Dum hæc sedulo Veneti curant, Galli, viginti peditum milibus, atque ingenti equitatus robore coacto, Guisio Duce, Theodonis villam munitissimum oppidum, quod non longe a Metis quatuor leucis distat, Mosellæ amni propinquum, loco ad iter Hispanis in Germaniam intercludendum sito, tormentorum vi, cuniculorum suffosione aggressi, per vim potiuntur. In ea oppugnatione Petrus Strozzius glande plumbea tractatus occubuit: vir magnitudine animi, militari virtute, per varios humanæ fortunæ casus, ac labores durato corpore, ac spiritu imperterritus, merito prisca ducibus conferendus: ex cuius

*Theodonis
villam oppi-
dum a Gui-
sio caput.**Petrus
Strozzius
glande plu-
bea interfec-
tus.*